



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

10. Etsi cuncta, &c. Innovatio & extensio Constitutionis Pii V. quæ Pii IV. de brevioribus quibusdam armis non gestandis Dispositionem confirmat.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

ratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum poenitentiarum relaxationes, aut alias quomodolibet de jure, usu, aut privilegio, vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quavis alia sint speciali nota digna difficultate concessionis, & quae in generali concessione non veniunt, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem, & ad aliorum instar, sed speciatim, & nominatim pariformiter, & aequè principaliter in omnibus & per omnia, absque ulla prorsus differentia, perinde, ac si illa dicto Ordini Beatæ Mariæ de Mercede, illiusque Capitulis Generalibus, Magistro Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis prædictis, specialiter, expressè, & nominatim, etiam per viam, & modum simplicis, & individuae, ac particularis, & specialis concessionis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliacionis concessa fuissent, quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licitè possint, & valeant.

Quæ dicti Ordinis ut aliorum Superiorum & Præpositi habeant.

§. 3. Ita quod omnes, & singuli dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores, & Ministri quocunque nomine appellati eisdem favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum Regularium, & Familiarum Generales Superiores, Præpositi, Provinciales, Rectores, Priores, Conventuales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocunque nomine, titulo, aut dignitate insigniti habent, similiter ut supra habeant.

Juxta ea gubernare Ordinem & visitare.

§. 4. Fratresque, & personæ Regulares dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Magistri Generales, Superiores, Ministri, & cæteri alii cujuscunque appellationis Præpositi & Præfecti in dicto Ordine Beatæ Mariæ de Mercede expressè professæ, & in ejus gremio, & observantia viventes Fratres, & personas Regulares dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, & Congregationum hujusmodi perpetuò secundum observantiam Regularem, & Canonicum Institutum dicti eorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede regere & gubernare, & respectivè visitare valeant: neque dictus Ordo Beatæ Mariæ de Mercede super præfatis omnibus, & singulis à quoquam quavis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut alias quomodolibet in judicio, & extra impediri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus & indulgemus.

Neque super præmissis ullatenus molestari possint.

Decretum roborans & Clausula exceptiva.

§. 5. Decernentes easdem præsentis Litteras semper, & perpetuò, tanquam ad Divni Cultus, & bonorum operum augmentum & Religionis propagationem tendentes validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore quovis prætextu, occasione, vel causa recedi, aut resisti, easdemque præsentis sub quibuscunque similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices, pro tempore existentes, Sedemque prædictam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibuscunque clausulis, & Decretis pro tempore factis minime comprehendendi, vel confundi, sed semper, & perpetuò ab illis exiipi, & quoties illæ emanabunt, toties

in pristinum, atque validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & de novo etiam sub quacunque posteriori data quodocunque eligenda concessas esse & fore ipsique Ordini Beatæ Mariæ de Mercede suffragari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque & non alias per quoscunque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ prædictæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibuscunque Apostolicis, & in Synodalibus provincialibusque, & universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus nec non regularium Domorum, locorum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, illi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibuscunque clausulis, & Decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permanentis, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Transumptorum hdes.

§. 8. Volumus autem, quod ipsarum præsentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo, & Notarii publici manu obfignatis stetur, eademque prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima octava Julii 1690. Pontificatus Nostri anno Primo.

D. 28. Julii 1690. Pont. anno primo.

Innovatio & extensio Constitutionis Pii V. quæ Pii IV. de brevioribus quibuscunque armis non gestandis Dispositionem confirmat.

X.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ET si cuncta, quæ ex circumspicienda Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum providentia processerunt, debitæ executioni demandata esse censeamus, sollicitudine peculiari quadam rationi convenire existimamus, ut ea, quæ ad perniciosas committendorum homicidiorum occasiones submovendas providè, prudenterque constituta esse noscuntur, Apostolici muniminis Nostri patrocinio constabiliamus, ac quatenus opus sit innovemus. illaque extendamus, & declaremus, ac alias desuper disponamus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Exordium

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor Noster cum experientia compertum habuisset ex homicidiis hujusmodi quam plura ex illis tormentulis igneis, Archibusetis vulgariter

Pii IV. de brevioribus armis non gestandis dispositio.

nuncupatis (quæ occultè deferri possunt, & ad necem inferendam aptiora, & ferè inevitabilia esse videntur) in dies committi, & perpetrari, nec hætenus ob proclamata etiam sub gravissimis pœnis à Reſtoribus Provinciarum, & Terrarum Nobis tunc sibi, & S. R. E. subiectarum ab illis deferendis ob ſicariorum copiam, & audaciam cessari, & abſtineri, quinimò paſſim, & indistinctè non ſecus, ac cætera arma minus prohibita ab omnibus ferè geſtari, proditorum, & abominabile, ac deſtandum armorum genus huiusmodi penitus, & omnino deſtruere, ac ab Alma Urbe, aliisque Terris Noſtris, tunc ſuis, prædictis in totum eliminare volens, per quaſdam ſuas anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo Pridie Nonas Martii Pontificatus ſui anno tertio expeditas Litteras perpetuò ſancivit, nemini, cuiſcumque eſſet dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut præminentie licere genus armorum huiusmodi, quod brevioris duorum palmorum menſuræ exiſteret, publicè, vel occultè, tam per Urbem, Civitates, & loca prædicta, quàm etiam in itineribus, quoquoſmodo, aut quovis etiam militiæ, aut executionis iuſtitie prætextu deferre, minuſque in domibus, aut alibi retinere, emere, aut permutationis, in ſolutum dationis, pignoris, vel quocunque alio titulo recipere, quinimò quicunque talia habuiſſent, intra certum in eiſdem Litteris præfixum terminum in eadem Urbe illius Gubernatori, in aliis verò locis prædictis, Reſtori, vel Præſidi, aut etiam Gubernatori, ſeu cuiſvis alii Superiori loci, in quo ea habentes fuiſſent, denunciare, & ad eum perſerre, ſeu perferri facere, ac penes ipſum in loco ad id deputando ſervanda dimittere tenerentur. Qui verò contra feciſſent, dictumque genus armorum dicto termino elapſo retinuiſſent, crimen Læſæ Maiestatis, & Rebellionis, ac penas pro illo à iure inflictas eo ipſo incurrerent.

§. 2. Et ſubindè recol. mem. Pius Papa V. etiam Prædeceſſor Noſter veſtigis eiſdem Pii IV. Prædeceſſoris inhærens, nec non attendens, quod eadem ratio militabat etiam in aliis armis veluti pugionibus, & aliis armorum generibus, quæ occultè deferri poſſunt, & cupiens quòd metu eiſdem pœnæ à ſimilium armorum delatione, & eorum uſu quilibet abſtineret, motu ſuo proprio præfatæ Pii IV. Prædeceſſoris Conſtitutioni addens, perpetuò pariter ſancivit, nemini, cuiſcumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, & præminentie exiſteret, licere pugiones, cultellos, nec aliud quodvis genus armorum brevioris menſuræ trium palmorum (exceptis tamen cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen eſſe non poſſent maioris longitudinis unius palmi, & ſine cuspide, & ut vulgò dicitur ſpontati) in Urbe, Civitatibus, & locis ſtatibus Noſtris, tunc ſuis, Eccleſiaſtici præſatis, & ſuburbis quovis modo, aut etiam quovis militiæ, aut executionis iuſtitie prætextu deferre. Qui verò contrafecerent, dictumque genus armorum detuliſſent, penas in prædicta Pii IV. Prædeceſſoris Conſtitutione expreſſas incurrerent. Inhibendo prætereà omnibus, & ſingulis, etiam de Latere Legatis, ne ſub indignationis ſuæ, & quibuſcumque Vicelegatis, Gubernatoribus, Reſtoribus, Præſidentibus, ac aliis Miniſtris, & Sedis Apoſtolicæ, ſeu Civitatum, & terrarum præſatarum Officialibus, ne ſub ſuſpenſionis à divinis, ac excommunicationis lætæ ſententiæ, aliſque arbitrio ſuo pœnis, Cuiquam tale genus armorum ſub quovis colore deferendi licentiam, & facultatem ad quodcunque etiam breviffimum tempus concedere audent, vel præſumerent, decernens nihilominus licentias, & facultates ſic conceſſas nullas penitus, & invalidas exiſtere, ac illis non obſtantibus eos, qui ſub illarum clypeo dictum genus armorum detuliſſent, penam præſatam omnino incurſuros, & aliàs, prout in ipſius Pii V. Prædeceſſoris deſuper pridie Idus Februarii Pontificatus ſui anno VIII. emana-

tis Litteris, quarum, & præſatarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo, ad verbum inferſis habere volumus, uberius continetur.

§. 3. Cùm autem, ſicut non ſine animi Noſtro dolore accepimus eo, quia iuſtitie Miniſtri eadem diligentia, qua ſuprà dicta Pii IV. Prædeceſſoris Conſtitutio exactè hætenus obſervata, & executioni demandata fuit, executioni pariter, & obſervantiæ alterius Pii V. etiam Prædeceſſoris Conſtitutioni ſupradictæ ſimiliter invigilare neglexerint, tametſi eiſdem obſervantia in omnibus à Congregatione pro tempore exiſtentium S. R. E. Cardinalium, conſultationibus negotiorum ditionis temporalis eiſdem S. R. E. præpolitorum, nec non à pro tempore pariter exiſtentibus dictæ Urbis Gubernatoribus emanatis generalibus bannimentis demandetur, quàm plura homicidia præſatis brevioribus armis, quæ inſidioſè celantur, talique celeritate, ut eorum ictus penè inevitabiles ſint, impugnantur, facillimè, & frequenter perpetrari ſoleant.

§. 4. Hinc eſt, quòd Nos quiti, & tranquillitati Noſtrorum, & eiſdem Sedis in temporalibus ſubditorum conſulere, ac malis huiusmodi, & occaſioni homicidiorum præſatarum, quæ animarum ſaluti, ac Reipublicæ bono adeò ſunt pernicioſa, occurrere, ac aliàs in præmiſſis, quantum in Deo poſſumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certa ſcientiâ, & maturâ deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Conſtitutionem per præſatum Pium V. Prædeceſſorem deſuper, ut præſertur, editam, omniaque & ſingula in eâ contenta, & expreſſa perpetuò approbamus, confirmamus, & quatenus opus ſit, innovamus, atque inviolabiliter, inconcuſſè, & perpetuò ſervari, & exequi volumus, & mandamus.

§. 5. Et inſuper decernimus & ſancimus, nemini cuiſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & præminentie, etiam ſpeciali mentione, ſeu notâ digno licere in Urbe præfatâ, eiſque diſtrictu, & in toto Statu Eccleſiaſtico Nobis, & dictæ Sedi tam immediatè, quam mediatè ſubjecto comprehenſis, etiam quatuor Legationibus, ac Civitatibus, Bononiënſi, Ferrariënſi Beneventanâ, aliſque Civitatibus, Terris, & locis, etiam ſpecialem, & individuum expreſſionem, ac nominationem requirerentibus, pugiones, cultellos, ac parvas ſicas, ſeu eos, qui vulgò nuncupantur ſtortini, ac aliud quodvis genus armorum brevioris menſuræ trium palmorum, menſuræ vulgariter denominatæ Canæ Romanæ ad uſum Mercatoris ſub pœnis Læſæ Maiestatis, & rebellionis irremiſſibiliter exequendis, exceptis dumtaxat cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen maioris longitudinis unius palmi eſſe non poſſint, ſintque ſine cuspide, & ut vulgò dicitur ſpontati, nec non aliis inſtrumentis ad uſum propriæ artis, quam quiſque exercet neceſſariis, & in actu exercitiu eiſdem artis, non aliàs deferre.

§. 6. Ad hæc huiusmodi genus armorum, quæ ſunt propria ſicariorum, & apta ad committenda delicta, nullo unquam tempore Reipublicæ, deferre poſſe conſiderantes, ſub iſdem pœnis illorum retentionem domi, in Apothecis, & alibi, introductionem in dictum Statum Eccleſiaſticum, fabricationem, venditionem, permutationem, in ſolutum, vel in pignus dationem, ſeu receptionem, & quodcunque aliud genus contractus prohibemus, volentes, & mandantes, quòd quicunque in Urbe, & diſtrictu præſatis, etiam in locis Baronaliſus commorantes, intra viginti dierum ſpatium à die publicationis præſentis Conſtitutionis in inſcriptis locis faciendâ computandum, ad Tribunal præſatæ Urbis Gubernatoris, in aliis verò locis totius Status Noſtri Eccleſiaſtici etiam mediati, intra triginta dierum ſpatium à die publicationis ſupradictæ computandum, ad Legatos, & Gubernatores, Superiorem in Provinciâ non recognoscentes, ea-

Non eadem diligentia Pii V. quam Conſtitutio fuit obſervata.

Quare à Sanctitate ſua per præſentes confirmatur & innovatur.

Ac de novo eorundem breviorum armorum uſus vetatur.

Quæ intra triginta dierum ſpatium ad Superiores deferenda.

dem

Quæ à Pio V. cum additione quadam innovata.

Hæc & prædictæ Constitutiones quasvis etiam personas Ecclesiasticas concernunt.

Nihil omnino contra præmissa, poenalesque contravenientibus infligendas suffragetur.

Derogatio contrariis.

dem arma deferre teneantur, ut statim frangantur, & fracta subinde ad Dominorum beneplacitum restituantur.

§. 7. Considerantes propterea, quantum Sacris Canonibus adversetur noceatque disciplinæ Ecclesiasticæ, quod Clerici, quorum arma sunt lacrymæ, & orationes, hujusmodi arma deferant, declaramus, & quatenus opus sit, decernimus, sub præsentis, ac supradictis Pii IV. ac Pii V. Prædecessorum Constitutionibus, tam Clericos quam alias omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam Seculares, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam de necessitate specialiter exprimendi, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Regulares, vel alias immunitate personali quomodolibet fruenter, & gaudentes comprehendi. Mandantes propterea, & enixe præcipientes Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ac respectu Regularium pro delatione tamen, seu retentione dictorum armorum intra claustra delinquentium eorum Superioribus Regularibus, quatenus præmissa omnia exequi curent, & faciant, & contra transgressores ad maiorem poenam, quam Tribunal Ecclesiasticum pro quocumque graviore, & atroci delicto imponat, seu imponere valeat, irremissibiliter procedant.

§. 8. Declarantes, & mandantes, quod ad sese eximendum à poenis præfatis, allegari non suffragabitur, non constare de dolo, vel malâ contravenientium qualitate, nec relevabunt, seu proderunt familiaritates, Litteræ patentes, inhibitiones, & licentiæ concessæ, & concedendæ, seu privilegia cujuslibet Congregationis Judicis, & Tribunalis, etiam supremi, ac Officialium, Ministrorum, & Exequutorum Justitiæ in quocumque actu, & servitio, nullo proflus excepto, nec non cuiuscumque Militiæ, etiam illius, quæ nuncupatur di Leva, seu alterius Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis actuali servitio destinatæ, Castellatorum, Gubernatorum armorum, aliorumque Officialium Majorum, ac quocumque militari munere, etiam supremo fungentium, Almar Domus Lauretanæ, nec non cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & quarumvis personarum, etiam in eminenti statu constitutarum, & alia quavis, sive Ecclesiastica, sive mundana dignitate fulgentium, & aliis quomodolibet qualificatorum, facultatis Cameralis, ac Ministerii, seu Ministrorum, etiam Principalium Cameræ Nostre Apostolicæ, tametsi prædicti, vel aliqui ex eis essent speciali nota, seu expressione digni, nullisque personis privilegiatis & privilegiatissimis exceptis. Volentes præmissis non obstantibus ad executionem præfatarum poenarum irremissibiliter contra omnes, & singulos contravenientes esse omnino deveniendum, & tam ad Fisci Nostri instantiam, quam ex officio, & per inquisitionem, ac omni meliori modo posse procedi.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, assertis consuetudinibus, quas si quæ forent per præfatos improbamur, nullasque, & invalidas esse declaramus. privilegii quoque, indultis & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè & suffi-

cienter expressis, & insertis habentes ad effectum præsentium, illisque alias in suo robore permanfuris hac vice dumtaxat harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volentes quod in aliis, quam præmissis privilegiati, seu habentes Litteras patentes omnibus aliis exemptionibus, & privilegiis legitimè competentibus perfruantur, ea tamen conditione, quod realiter, & cum effectu registrari curaverint, vel curent in Cancellariis Legatorum & Gubernatorum, privilegia, Litteras patentes, & titulos exemptionis, ad formam & tenorem Edictorum de mandato Romanorum Pontificum Nostrorum Prædecessorum, & signanter piæ mem. Clementis X. sub datum die vigesima octavâ Julii Anno Domini 1674. & Innocentii XI. sub dat. die septimâ Novembris anno 1676. publicatum, quæ exactè observari, suumque plenum effectum habere, ac si hic de verbo ad verbum inserta existerent, ordinamus.

§. 11. Volumus autem, quod lapsis decem respectu dictæ Nostre Urbis, & viginti diebus respectu totius præfati Nostri Status Ecclesiastici, postquam præfentes valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum ejusdem Urbis, & in acie Campi Floræ, per aliquem ex Nostis Curforibus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes & singulos, tam in Urbe, quam in Statu præfatis existentes perinde obligent, & arctent, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimatæ fuissent; Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdemmet præsentibus, si exhibitæ, vel ostensæ essent, adhiberetur.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrearum confirmationis, innovationis, voluntatis, mandati, Decreti, sanctionis, extensionis, prohibitionis, declarationis, & derogationis infringere, seu ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo, Idibus Augusti Pontificatus Nostri anno primo.

Confirmatio tenarum Innocentii XI. Litterarum super concessione privilegiorum pro Collegio B. Ferdinandi Catholici Sancti nuncupati & Universitate Sanctæ Fidei in Indiis Occidentalibus.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis munere, illa quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, pro sacrarum, eisque ancillantium bonarum Litterarum studiis ubique locorum, & præsertim in remotissimis ab hac Sancta Sede partibus, opportunè promovendis piè, providèque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, & optati exinde fructus ad Dei gloriam, Catholicæ Fidei, Divinique cultus propagationem, & Christiani populi ædificationem, benedicente Domino consequantur. Apostolici munus Nostri præsidio, cum id à Nobis petitur, libenter constabilimus.

§. 1. Alias siquidem emanarunt à fel. rec. Innocentio P. P. XI. Prædecessore Nostro tenæ in simili forma Brevis Litteræ, tenoris, qui sequitur, videlicet. Innocentius PP. XI. Ad futuram rei memoriam. Pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini Divinâ dispositione præsidemus, cura animarum Nostrearum sollicitat, ut pia Religiosorum virorum, propriæ alienæque saluti

Præferantur habentes alias exemptiones in Legatorum Cancellariis registrandas.

Universis præsentium post publicationem obligatio.

Transumptum fides.

Sanctio poenalis.

D. 13. Aug. A. 1690. P. A. primo.

XI.

Exordium.

Litteræ Innocentii XI. facultatem conferendi gradus Scholasticos Collegio Beati Ferdinandi Catholici concedentes.

operam